

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Artikel: Demonstratur, homini Christiano licere spe praemii Deum colere
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394649>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

(*) Demonstratur,
 Homini Christiano licere spe præmii
 Deum colere.

OMnes, quotquot sunt, homines, maximos, medioximos, & imos ad Religionem, id est, ad supremum Numen pie casteque colendum natos atque formatos esse, nemo, opinor, infitiabitur, nisi communi intellectu destitutus, & de bonæ mentis sede deturbatus. Multa enim in nobis ipsi vinculaprehendimus, quæ nos tam arcte cum Deo colligant, ut frustra simus, ac prorsus in cassum laboremus, si nos illis conemur exsolvere; qualia sunt ortus nostri conscientia; naturæ humanæ infirmitas divinæ opis idemtidem indiga; sensus Numinis uniuscujusque nostrum, si attendere velimus, menti infixus inscriptusque; tam multa, tamque varia beneficia, quibus de cælo & in terra quotidie maestamur; præclara atque eximia Potentiæ & Bonitatis divinæ signa ac effecta, quæ se conspicienda nobis mirandaque subinde offerunt, lex item interna, quæ quid rectum, quid curvum, quid honestum, quid turpe, quid sectan-

(*) Hæc Prælectio, quæ jam olim in Societate lectissimorum Virorum fuit recitata, auctorem agnoscit Virum summe venerandum J. C. WIRZ, nunc Ecclesiarum Turicens. Antistitem.

sectandum , quid fugiendum sit , immutabiliter præcipit : ut plura alia silentio præteream.

Sed quum hoc in primis Sæculum Religionum ferax , pietatis sterile sit , plurimum refert , quem quisque honorem Deo habeat , & quo adfectu ad supremam illius majestatem venerandam accedat. Neque enim quivis , sive superficialius , sive humano cerebro confictus , cultus Deo placere potest ; sed cum excellentius Deo nihil sit , eum etiam quam potest excellentissime coli addecet. Excellentissime vero ac optime illum colemus , si ei animum nostrum similem fecerimus ; si eum semper pura , integra , incorrupta , & mente & voce venerati fuerimus ; si nos totos in omnibus , quæ cogitamus , quæ loquimur , quæ agimus , ei dederimus , dicaverimus , consecraverimus. Hoc unico sacrificio vere delectatur Deus , nempe veritate , rebusque solidis ; cetera , in quibus homines superstitionum dediti præcipuam pietatis partem collocare consueverunt , evellenda sunt ut veræ frugi obstans lolium.

Verum his nondum contentus sedulus Dei Cultor , quærere possit , quid sibi in Superiorum cultu spectandum potissimum sit , quove argumento ad officia illis debita excitari debeat , ne illos , cum maxime sibi conciliare adnitatur , perperam agendo , illicitumque finem proponendo , maxime ab se alienet. Fateor , non de nihilo quæstionem esse ; quippe sapientis est , si uspiam , hic certe probe circumspicere , non tantum quid agat , sed etiam cur agat , quidve eum ad agendum extimulet. Nam pro diversitate finis , quem
sibi

sibi in agendo homines præfigunt, eadem actio in altero laude, in altero vituperatione digna esse potest. Id quod Philosophi trito hoc axiomate enuntiare solent: Duo cum faciunt idem, non est idem.

Sunt Viri ἀντιβέσσοι, qui cultum spe remunerationis Deo præstitum nihili faciunt, eosque solos recte officium facere censent, qui nullo mercedis intuitu, Deum propter ejus excellentiam colunt, ac virtuti propter ejus venustatem operam dant. Hoc jam antiquis temporibus volebat, ni fallor, Antigonus quidam, Judæorum Doctor, qui sæpenumero inculcabat discipulis, ne instar servorum essent, quos ideo heris suis servire constat, ut σιτηγέσιον, hoc est, demensum accipiant. Mentem ejus plerique sic explicant, Deum propter semet ipsum colendum esse, seu propter amorem Dei, non propter spem mercedis. Et fieri potuit, ut rectius sentiret Antigonus, quam discipulus ejus Sadokus & Sectatores, qui magistri dictum aliovorsum traxere, ut primum de scelerum vindicta, & bene factorum remuneratione post hanc vitam dubitarent, deinde utramque aperte negarent; unde Sadducaismus natus est. Nobis in veterem hanc historiam excurrere, non est animus; sed id solum monendum ducimus, esse inter Christianos non paucos, qui ad Antigoni imitationem, mercenarium existimant, mercedis intuitu officium facere: filiorum vero esse, solo Patris sui amore ad officium permoveri. Aliis contra videtur; decorum omnino homini Christiano esse, spe præmii consequendi ad obsequia divina induci, immo Chri-

fianum ad heroicas virtutes incitari non posse, nisi spem certam mercedis insignis a Deo reportandæ animo conceperit.

Mihi prior illa sententia semper durior visa est, & ab omnis, præsertim a Christianæ Religionis genio alienior, defensa a viris, qui *θεωρητικοίς* nimium immorantes, fortis humanæ pæne obliviscuntur. Posteriores vero sententiam, & cum ratione congruere, & cum oraculis sacris, in præsentiarum paucis demonstrare institui.

Quod ut plane fiat, priusquam rem ipsam adgrediar, hoc monendi estis, nolle me ut quisquam ad calculos Deum vocet, recteque facta illi imputet: nam ne in præstantissimis quidem virtutum exercitiis quidquam est, quo nos efferamus, aut Deum nobis obligatum esse putemus. Primum enim, cum ipse nos de nihilo ut essemus fecerit, quis dubitet, quin quidquid in nostra est potestate, exigere a nobis possit, etiam nullo proposito præmio? Quare, o homo, ne te jactes, si bene serviisti; obsequitur sol; obtemperat luna; quidni & tu, qui totus Dei es? Deinde vero, cum ratio nobis data sit ab optimo Conditore, idque eximium habeamus supra animantia cætera, nonne tam naturale nobis censerî debet secundum rationem vivere, quam bestiis secundum naturæ impetus, si tamen præter hos impetus nihil in bestiis est? At bestiis eo nomine nullum debetur præmium. Tum in mentem venire debet, neminem esse cui non multa peccata sint condonata; quod vel unum satis est, ut humiles nos Deo substernat. Nemo enim tantum præ-

præstare potest, quin plus pro indulgentiæ beneficio debeat. Accedit, quod etiam quæ post emendationem remanent in nobis culpæ vestigia, quotidie divina miseratione opus habent. Porro quis ignorat, Satori fructus omnes jure deberi? Deus autem in nobis sevit omne vitæ melioris studium, idque non vulgari quadam, sed vere insolita atque inaudita benignitate, cum genus humanum, demersum in vitiis, admirabili illa per Christum vocatione erigere dignatus est. Deus nunc etiam interna Spiritus sui gratia nos excitat flectitque, ut bene agere velimus, & bene agentes adjuvat. Addendum his, quod Deus *αὐτάρκης καὶ ἀνευδὲς* non potest opera nostra beatior fieri, neque ad eum vel tantillum commodi ex operibus nostris redundat, ut dici eo nomine debitor possit. Unde recte dixit, quicumque dixit, qui Deum, velut indigum, honore prosequitur, ille clam se putat Deo meliorem esse. Postremo, quod de perpersionibus, idem de factis etiam præstantissimis, verissime dici potest, indigna prorsus esse ad futuræ gloriæ comparationem. Merito sane. Quæ enim esse potest æqualitas inter momentaneum & æternum? ut jam de illis infirmitatibus taceam, quæ humanis actionibus intercurrunt. Hæc autem omnia sicut non tollunt piorum modestam *παρρησίαν καὶ πεποίθησιν καὶ τὸ ἐν Θεῷ καύχημα*; ita directe adversantur *imputatrici* superbiæ, neque patiuntur Deum nobis debitorem censerī, nisi ex misericordie promissione. Nam qui alteri promittit, hoc ipso fidem suam adstringit. Deus vero cum veracissimus sit, & sibi constet, nulla-que re in exsequendis consiliis suis impediri possit, fidem datam numquam fallit.

Ut ergo eo perveniam , quo maxime volo , sicut mancipiorum esse puto , sola pœnæ præsentis formidine malis absterreri , & ingeniorum satis vilium spe rerum caducarum officium facere ; ita ingenui hominis , & veri Christiani esse reor , spe beatæ immortalitatis & æterni præmii virtuti operam dare : Hanc enim mercedem ipse misericors Deus nobis ob oculos ponit.

Hoc ratio cuivis dictat. Si enim in temet ipse descendas , & intimos sensus mentis tuæ excutias , facile cognosces imperari tibi , ut Deum , tamquam ens summe bonum summeque pulchrum , diligas. At hæc ipsa clarissime docent , te in summi illius entis fruitione atque amicitia perfectissimam consequuturum esse felicitatem. Quæ enim , quæso vos , ratio ? Deus est ens optimum ac pulcherrimum ; nulla tamen ex ejus bonitate & perfectione ad me redundabit felicitas , ergo illum tamquam summum bonum amare , & ex amore illi obedire debeo ? Ut distinctius hoc explicem , considerate Deum vel ut Ens ἀγαθώτατον ; vel ut Legislatorem , qui ingrata nobis ac dura præcipit. Priore modo necessario amatur Deus : omnes enim summum bonum amore prosequuntur , neque quisquam illud repudiare potest , nisi humanitatem exuerit. Sed quomodo amatur ? Num tantum ut bonus in se , sine ullo quæ ab ipso ad nos redundabit , felicitatis respectu ? Nequaquam : sed tamquam bonus etiam aliis , qui bonitatem suam libenter cum rebus conditis communicat , præsertim vero homines , ad interioram amicitiam admittendo , inexplicabili felicitate impertiturus est. Bonum enim summum fieri Deus nequit ,
quin

quin vehementer appetamus , ut eo intime ac perpetuo fruamur : qui vero fruitur , dum fruitur , beatus est. Posteriore modo Deum amare , est legibus ipsius lubenti animo obsequi. Hic proin amor liberrimus est , ad quem excitamur illo amore , quo Deum tamquam summum bonum diligimus , certa spe freti , si Deum tamquam Legislatorem amaverimus , nos ipso tamquam summo bono , omnibusque ipsius bonis , æternum fru- turos esse. Cui vero mens dictat , Deum gravia nobis præcipientem ut talem amari debere , id est , præceptis istis divinis maxima cum molestia obe- diendum esse , tantummodo quia Deus pulcherri- mus est & optimus , sine ullo præmii ab ipso ob- tinendi intuitu ? Accedit , quod Deum ut Legis- latorem considerando , non aliter concipere ani- mo possumus , ac justum. Justus autem est , non tantum quatenus semper id , quod æquum & re- ctum , quodque naturæ suæ sanctissimæ consen- taneum est , facit , nihilque divinæ majestati ac sanctitati suæ adversarium facere potest ; sed etiam quatenus suum unicuique , morigeris præmium lege expressum , refractariis pœnam legibus consti- tutam , sive in hoc , sive in futuro sæculo tri- buit. Quare qui Deum propter se amandum at- que colendum dicunt , vel inania verba fundunt , vel nobiscum idem sentiunt. Quid enim est De- um propter se amare , nisi propterea amare , quia bonus , quia justus , quia misericors ac benignus est ? quæ omnia , si quid video , præmii intuitum involvunt. Fateor , nos qui Deum esse credi- mus , & voluntatem ejus cognitam habemus , ad colendum eum obligatos esse , etiamsi nullum nobis promitteret præmium. Sed quid opus est

re tam seria , quæ ad omnem vitam nostram dirigendam pertinet , de conditione loqui , quæ nusquam est , nec erit ? Si Deus spe præmii nos potissimum ad obsequia sua movere vult , cur ratiocinationibus nostris longius progredimur , quam Deus ipse nos progredi vult ? Verum est , si quem ita amamus , ut ei bene velimus , nos in amore non commodum aliquod respicere , quod ab illo exspectamus , sed eum dumtaxat intueri , quem amamus. At hoc ad amorem , quo Deum prosequimur , applicari nequit. Est enim amor non benevolentia , sed amicitia , ut cum scholis loquar ; amor conjunctus cum flagranti desiderio unionis cum Deo. Quis vero cuiquam uniri desiderat , nisi ex unione illa se felicior fore sperat ? quis e contrario ab eo , quem odit , separari cupit , nisi quod unionem ac conjunctionem cum illo molestam sibi & noxiam experitur ? At enim dicas ; qui spe mercedis se morigeros Deo præstant , ex amore sui morigerantur , Deumque ideo tantum venerantur , quod plurima & maxima promissit ; absque hoc esset , numquam virtutis amore ad obsequium perducerentur. Hic vero distingui velim inter commoda hujus vitæ , & inter felicitatem , quæ in altero Sæculo pios manet. Qui commoda solum hujus vitæ spectant , illi non tam Dei justitiæque amore obedire videntur , quam amore præmii fluxi , & a Deo plane diversi. Qui vero spe æterni præmii vitam suam ad divinas leges examussitant , amore Dei ut summi boni id faciunt , & justitiæ studio , quod Deum nobis conciliat. Neque isti quidquam , id est , mercedem cœlestem præ Deo amare censendi sunt. Nam qui mercedem æternam , quam solus Deus dat ,


dat, & dare potest, amat, Deum magis amet necesse est. Merces quippe æterna ipse Deus est, ejusque perpetua fruitio. Itaque non quid a Deo diversum, sed ipsum Deum amant, & cum in solo Deo felicitatem suam quærant, nihil præ Deo amant, sed præ amore Dei, quem supra omnia amant, omnium aliorum, quantumvis gratorum, amorem abjiciunt.

Quæ huc usque ex ratione disputavimus, confirmantur ex Codice Sacro. Nihil enim ex illo proferri potest, quod obedientiam spe præmii præstitam improbet, aut tamquam mercenariam damnet; sed contra plura sunt, quæ nos convincunt, licitum esse, mercedis æternæ intuitu Deum colere. Nam passim Deus proposito præmio nos ad pietatis officia adhortatur, illiusque magnitudine nos promptos hilaresque reddit. Habet pietas promissa utriusque vitæ, I. Tim. IV: 8. quamquam principale est gloria alterius vitæ: quæ ad hanc vitam desiderantur, *προςθήκης* vicem habent; quapropter etiam parcius piis solent contingere, quo magis rebus illis honor & pretium detrahatur. Si ergo ipse Deus uberrimis promissis nos ad officia moveri vult, quis hac ratione ad Dei cultum perducere illicitum esse dicat? Ad hæc, Sacro Codice diserte ad vitæ æternæ præmium respicere, illudque per obedientiam Deo exhibitam quærere jubemur, ubi excitamur, ut Thesauros colligamus in cælis, ut Regnum Dei quæramus, ut ea sectemur quæ sursum sunt, ubi Christus sedet ad Dextram Dei, ut vitam æternam apprehendamus; eamque adepturi dicuntur, qui per *ὑπομονήν* in bono opere ad gloriam, & honorem,

norem , & ἀσπίδα anhelant. Porro quid fides , Christianæ Religionis prora & puppis , aliud est quam firma quædam expectatio earum rerum , quæ sperantur ? Hebr. XI: 1. Num fides sine præmii intuitu consistere potest ? Nonne eum qui ad Deum accedit , credere oportet esse Deum , & præmia largiri quærentibus se ? ibid. v. 6. unde consequum est , neminem Religionem habere ullam , nisi credat & esse Numen aliquod æternum atque omnipotens , & curam agere rerum humanarum , ita ut obedientibus sibi bona reddere velit. Dixit etiam Cicero , nullam esse Religionem , si nullam rerum humanarum procuracionem habeant Dii. Et Seneca inquit : Primus est Deorum cultus , Deos credere : deinde , reddere illis majestatem suam , reddere bonitatem , sine qua nulla majestas est. Sic & Plutarchus optime ait : Non enim immortalem tantum & beatum Deum esse credere oportet : Sed & eum hominum amantem esse , eorumque curam gerere , & commodis consulere. At Lactantius fortissime omnium : Neque honor ullus deberi potest Deo , si nihil præstat colenti ; nec ullus metus , si non irascitur non colenti. Accedit , quod optimi ac sanctissimi quique viri consideratione præmii ad obtemperandum Deo permoti fuerunt , & spe remunerationis a Deo obtinendæ præcipua eorum obedientia nixa legitur. Ita Abrahamus , ita ceteri Patres , qui ante & post diluvium vixerunt , hac fide miranda patrarunt. Ita præsertim Moses retributionem mercedis respexisse dicitur , Hebr. XI: 25. Quid , quod ipse Sospitator noster Jesus ob gaudium , quod ipsi animo obversabatur , id est , ob vitam immortalem , & summam

mam potestatem , sibi a Deo promissam , exquisitissimos dolores pertulit , ibid. XII: 2. Quis vero dicere ausit , sanctissimos illos heroes , & Jesum illorum principem , non sincere , sed mercenariorum instar Deo obedivisse ? Sed & illud non prætereundum , quod jam superius dicere cœpi , esse eximia quædam officia , quæ sine respectu ad præmium præstari nequeunt. Sunt enim virtutes , quas ipsa ratio lumine naturali præscribit excolendas , quales sunt , honeste esse vivendum , nulli innocenti injuriam inferendam , parentes diligendos , misero succurrendum , iis qui bene nobis fecerunt , gratias esse habendas. Hæ excolendæ sunt , & excoli possunt solo justitiæ & virtutis amore. Sunt vero præterea virtutes , quas ratio non dicit , immo quæ rationi repugnare videntur , sed quas Deus tamquam magis eximias a nobis exigit ; quales sunt , se ipsum abnegare , crucem suam tollere , inimicos diligere , pro veritate maximis se periculis objicere , & sanguinem profundere. Hæ sine respectu ad præmium , & quidem majus atque excellentius eo bono , quo nos abdicamus , præstari nequeunt. Amor enim rationalis alicujus boni , qualis est amor vitæ , eorumque , quæ hanc vitam suavem atque amabilem faciunt , extinguere non potest nisi per contrarium amorem boni multo majoris & excellentioris , cujus adeptionem minoris boni amor impedit : duobus namque propositis bonis , amor erga minus bonum , amori erga majus cedat necesse est , si quidem ductum rationis homo sequi velit. Igitur Christus nos ad faciendam rerum mortalium vitæque ipsius , si opus sit , jacturam hoc argumento ubique invitatur , quod in ea
jactura

maximum situm sit lucrum. Et Apostolus, post tot accepta a Deo dona, inquit: Si in hac tantum vita spem nostram in Christo collocamus, miserrimi omnium hominum sumus, I. Cor. XV. 19. Non amentes esse Apostolos, satis constabat ex vita ipsorum, dictis, & scriptis. Atqui amentium fuerat objicere se tot odiis, incommodis, periculis, morti ipsi, nisi præmium aliquod post hanc vitam exspectarent: cujus præmii fidem nulla magis illis res fecerat, quam Christi resurrectio. Vere ergo miserandi erant Apostoli, vere miserandi omnes, qui pro veritatis professione mortem oppetierunt, si eo usque insanirent. Quid enim a Christo in hac vita sperare poterant, quod cum tantis malis compararetur? Denique, ut in summam omnia contraham, placuit benignissimo Numini, ut nos ad pietatis studium acrius inflammaret, leges suas præstantissimis sancire promissis: promissa autem illa nullam plane vim habent, si homini in pietatis cursu ea sibi proponere non licet.



NOVA